

V
C
4169



h.



h. 36,59.

Vc
4169

18

Hexadecas
EPIGRAMMATUM.

In

Prælium ad Lipsiam commissum.

PRAGÆ,

XI. Novembr. ANNO

M. DC. XXXII.

Zacharias Gottlob Fügel. Preßd.
et. M D C E.



Hostem ultrò provocantem,
ac bellum inferentem non so-
lūm acutis telis, sed etiam acu-
leatis dictis petere atq; vulne
rare semper impunè licuit.



IN TILLIUM.

I.



On fugere , aut vinci consuetus Tillius ,
Ecce ,
Lipsiaco in campo vincitur atq; fugit!
In promptu causa est : Vinci se posse negavit ,
Ostendit vinci sed potuisse D̄eūs .

II.

T illius in pugna ruditer tractatus ab hoste ,
Et globulis ictus dicitur esse tribus .
Verūm habuit corpus ferro impenetrabile : Tilli ,
Invictum te istis artibus esse putas ?

III.

C Vm chalybe & ferrō corpus tibi durius eslet ,
Quā poteras hostem sternere fronte tuum ?
Impar congressus magico cum milite ? namq; ut
Sint paria arma , tamen corpora non paria .
Egregiam verò laudem , nomenq; reportas
Tilli ! sic bello vincere te pudeat .

a 2

Opu-

VI.

O Pudor! ô nostro stigma indelebile seculo!

O ubi Germanæ gloria militiæ?

Lappus & extremâ submissus Finnus ab arcto

Non ferrum metuit sulphureosq; globos,

Sed pulchram pro Rege suo per vulnera mortem

Oppetit, atq; optat s̄xpius oppetere.

At timidus magicis se Tillius artibus armat.

Ne ferrum possit ne penetrare globi.

Quid metuis? cur non pro Cæsare tu quoq;, Tilli,

Exoptcs mortes oppetere innumeras?

Ignosce: in causâ, quod non benè suspicer, ipse es.

Quid si de belli justitiâ dubites?

Justior attollit vires in milite causa:

Quæ metuit mortem, non mihi causa placet.

V.

QUÒ nunc Heroūm quò virtus bellica cessit?

O ubi nunc veterum fortia facta Ducum?

Quæs pulchrum in bello cadere & numerare deco-

Vulnera, figebant oscula vulneribus. (rum)

At magicis noster se devovet artibus ultrò

Tillius, ô cani nequitiam capit!

Non istas artes; Tilli, benedicta virago

Te docuit, cuius diceris esse cliens.

Sed stygiis Hecate tenebris excita: Patrona

Digna tuis factis moribus atq; tuis.

Rex



Rex pius egelidum Gustavus Adolphus ad a-
xem

Sagas atq; magos misit in exilium:

Ut magicus Lappos Dœmon Finnosq; reliquit,

Excepit profugum Tillius hospitio.

Bambergam assignans spurco simul Herbipolinq;

Hic latum nactus spiritus imperium

Exercet, gelidam & curat uihil amplius Arcton,

Dans subito æternae millia multa neci.

Non tulit ulterius tantum Rex dedecus: Ergo

Bambergam penetrat, Herbipolinq; capit,
Dœmonium ejiciens. Nunc autem Spiritus ater;

Nunc aliud quærit Tillius hospitium.

Sed sequere, ô mi Rex, & si vel Roma petatur,

Româ etiam magicum hoc ejice Dœmonium.

In Exercitum Tillianum.

Extitit, ô secli seclusatq; infamia nostri!

Extitit, ô sacri dedecus imperii!

Extitit, & verum est: seculo hoc exercitus ipso

Extitit, in cœlos impius inq; Deum,

Invictum qui sese armis profiterier ausus,

Tam duce, quam numero & robore militiae,

At scelus hoc seclum, cœlum, Deus, imperiiq;
Ensiger ulterius non potuere pati.
Ensigero Augustus Frater, Gustavus Adolphus,
ultrò suppetias & socia arma tulit.
Non tulit invictus socia hæc exercitus arma,
Cessit, & in celerem se dedit ipse fugam.
In nunc, invictum te jacta! agnoscito contrâ
Solius invictam viinq; manumq; Dei,

IIX.

In locum prælii.

Invictus hic Exercitus victus jacer,

IX.

IAliud.

Invictus ille Tillii hic Exercitus
Est victus: hunc locum notate posteri.

X.

In Victoriam Regis Sveciæ & Electoris Saxoniæ.

Dum Rex ad pugnam graditur cum Saxone
Suecus,
Dum pia cum socio milite castra movet,
Castra piis resonant precibus, fit clamor ad auras,
Hymnus & occinitur suavis in aure Dei,

Ad

Ad pugnam ut ventum est, quanta ò suspiria sursum
Quotq; Triumphantí millia missa D E O !
Nec mora descendit plenis victoria velis :
Scit precibus victus Jova juvare suos.

XI.

In Eorundem Tesseram.

Nobiscum Deus est : fortés pugnate strategi !
Pro nobis pugnat fortiter ipse Deus.

XII.

In Tesseram Tillianam.

Ad Beatissimam Virginem

MARIAM.

O Verè cunctas inter benedicta puellas !
Obstat nōdum nacta parem, nunquam habitu-
ra parem.

O virgo ! ô mater ! mater virgoq; perennis !

O salve Genitrix immaculata Dei !

Quae te submittens ultrò, agnoscensq; Jehovam ,
Ancillam Domini te famulamq; vocas.

Postquam nunc, ut Diva potens , in vota vocaris ,

Dic mihi , quî cultus , quî tibi vota placent ?

a. 4.

Respon-

Responsio

Beatissimæ Virginis.

Non mihi divinos cultus, non vota placere,
Lipsiacæ pugnæ tessera testis erit.

XIII.

In Heroicas Serenissimi Saxo-
niæ Electoris Virtutes
PATIENTIAM ET FORTI-
TUDINEM

Sæpe mihi excusit patientia Saxonis iram
Sæpe mihi bilem movit & invidiam:
O quoties dixi: Vana est devotio, vana est
Tam nivei & fidi pectoris integritas,
Consiliis, monitis precibusq; tot institit annos,
Illa nihil, nihil hæc, nil valnere preces
Quin armis cumulata arma, & bella addita bellis
Et mala sunt aliis conduplicata malis
Stat tamen interea, ceu saxum immobile Saxo,
Firmus in affectu Cæsar is atq; fide
Donec se circum Ligæq; & Cæsar is armis
Supremumq; videt prælia adesse diem
Tum sibi ab imperio commissos arripit enses
Atq; decussatim quassat utraq; manu

Nunc

Nunc hâc nunc illâc vibrans : petit obvius hostes,

Fortis in adversos , strenuus in profugos

Nunc didici verum : Verum nunc esse fatebor :

SÆPE ETIAM INSTANTI LÆSA REPUGNAT OVIS.

Induit horribilem patientia læsa furorem

Nec motam bilem sistere deîn facile est.

XIV.

In Virtutes Cæsariſ.

M Agna est, ut fertur, devotio Cæsar is, ingens,

Ut patet, imbibitæ relligionis amor

Magna, nec inficior, Clementia, sæpius hosti

Cognita, pauperibus semper aperta ma-

Semper larga manus. DEVOTI, RELLIGIOSI, (nus,

CLEMENTIS, LARGI nomina Cæsar habet,

Sanguinis humani modò ne tam prodigus esset,

Inq; animas nullum sumeret imperium.

XV.

Ad Eundem.

Q Vid, Imperator, ore te, quid nam patras?

Dum quæris imperare Conscientiis.

Sic subditos, sic regna, sic provincias

Perdes citò, nec ipse te feret Deus,

Nunc

B

Qui

90
90
4169
Qui Solus imperare vult, nec quit pati,
Ut Conscientiis homo quis imperet.

XVI.

De Rege Sveciæ

A Domino quoties Sueco Victoria Regi
Obtigit, hoc Dominus, non ego, fecit, ait.
Eugè, pulchrè, verè! felix Dextra Jehovæ.
Et poteris sic præposterus esse Deus.
Sub sannent hostes, sed perge offerre jehovæ
Laudem omnem, sic laus, Rex, tua major erit.
Et poteris pariter Deus esse Dei q; minister,
Gesta Dei tua erunt, & tua gesta Dei!

Gusman VV.

F I N I S.



ULB Halle
004 825 454

3





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-28323-p0014-6

DFG

IN



In prompt
Ostend

T Illius
Verum ha
Invict

C Vm
Impar cor
Sint pa
Egregiam
Tilli!

Kodak

LICENSED PRODUCT

Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White

3/Color

Black

Inches

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Centimetres

M.

is Tillius,

tq; fugit!
vit,

hoste,
ibus.
le: Tilli,

Iurius eslet,
onte tuum?
amq; ut
paria.
tas

Opu-